

nullæ differentiæ, aded quidem ut rectè Aristoteles l. c. dixerit : ὁμοιον γδ ἴσι τῇ ἀντιστροφῇ πλὴν διαφέρει τοσῦτον. *Similis est ἀπαγωγὴ sive deductio ad impossibile conversioni : differt tamen in aliquo.*

XLV. Etenim ἀντιστροφὴ non fit, nisi factò prius Syllogismò, ast ἀπαγωγὴ etiam circa thesιν Syllogismò non illatam potest institui. Deinde firmitas consequentiæ Syllogismorum δι' ἀντιστροφῆς ostenditur; ast per ἀπαγωγὴν vel conclusionis Syllogismò illatæ, vel thesios propositæ falsitas ex his principiis ostenditur, quòd duo contradictoria non possint esse simul vera, nec simul falsa; & præterea ex eo, quòd id, ex quo falsum sequitur, ipsum quoque sit falsum. Porro, in ἀντιστροφῇ tam contraria quàm contradictoria cum altera præmissarum sumitur; in ἀπαγωγῇ autem non contrariam, sed tantum contradictoriam vel illatæ conclusionis, vel propositæ θέσεως sumi oportet. Quò accedit, quòd ἀντιστροφῇ indifferenter verum sumat, & falsum: & quidem falsum sumit in confirmanda consequentia Syllogismi verum concludentis; verum autem in Syllogismi falsum concludentis consequentiā examinanda. Ast ἀπαγωγῇ tantum falsum supponit, quòd est contradictoria conclusionis vel θέσεως, cuius veritas hâc ratione est evincenda; & falsum concludit, illud nimirum, quòd ex falsa hypothesi sequitur. Denique per ἀντιστροφὴν interdum illud demonstramus, quòd concludimus; per ἀπαγωγὴν autem nunquam probamus id, quòd concludimus, cum id manifestò sit falsum, sed potius eò remotò propositam θέσιν aut quæstionem principalem confirmamus. Vid. Zachar. Ursin. in II. Prior. Analyt. cap. VI. p. 150. Henricus Höpffnerus Commentar. in I. Prior. Analyt. XI. XII. XIII. p. 453. 454.

XLVI. Ceterum cum ad deductionem ad impossibile absolvendam, postquam falsam aliquod & repugnans δεικτικῶς est illatum, accedant aliqui processus, ceu jam tum
§. XXXV,